

Hörsaalprobleme in Paris

LI.

Fol. 87v. Audivi, quod rex Francie valde commotus fuerat et iratus contra precipuum magistrum Petrum Baalardum, qui Parisius legebat, et prohibuit ei, **ne de cetero legeret in terra sua.** Ipse vero ascendit super arborem preminentem prope civitatem Parisiensem, et omnes scolares Parisienses secuti sunt eum audientes sub arbore magistri sui lectiones. Cum autem rex quadam die de palacio suo videret multitudinem scholarium sub arbore residencium, quesivit, quid hoc esset, et dictum est ei, quod clerici erant, qui magistrum Petrum audiebant. Ille vero valde iratus fecit magistrum ad se venire et dixit ei: ‚Quomodo ita audax fuisti, quod contra prohibitionem meam in terra mea legisti?‘ Cui ille: ‚Domine, non legi post prohibitionem vestram in terra vestra, **verum tamen legi in aere**‘. Tunc rex inhibuit ei, ne in terra sua vel in aere suo doceret. At ille intravit in naviculam et de navicula docebat turbas discipulorum. Cumque rex quadam die videret scolares in ripa fluminis residentes, quesivit, quid hoc esset, et dictum est ei, quod magister Petrus in loco illo scolas regebat, et cum magna indignacione fecit eum vocari et dixit ei: ‚Nonne tibi inhibueram, ne legeres in terra mea vel in aere?‘ Et illo respondente: ‚Nec in terra tua nec in aere legi, sed in aqua tua‘, **rex subridens** et in mansuetudinem iram convertens **ait**: ‚Vicisti me, de cetero, **ubicumque volueris, tam in terra mea, quam in aere vel in aqua lege**‘!

aus: Goswin **Frenken**: Die Exempla des Jacob von Vitry. Ein Beitrag zur Geschichte der Erzählungsliteratur des Mittelalters (Quellen und Untersuchungen zur lateinischen Philologie des Mittelalters 5,1), München 1914.

Quelle: Mündlich.

Bearbeitungen: -

Petrus Baalardus: Peter Abaelard.